

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 2128

**Auteur(s) :** Évreux (official)

**Bénéficiaire(s) :** Évreux, Saint-Taurin (abbaye)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1275, 21 mars

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Devant l'official d'Évreux, Alix, veuve de Richard Haysie, et Pierre, son fils, reconnaissent avoir vendu aux religieux de Saint-Taurin d'Évreux, quinze sols tournois de rente annuelle, sur deux maisons et mesure situées à Louviers, dans le fief de Saint-Taurin, rue du Puits, près de la maison de Jean Malpetit, moyennant six livres quinze sols tournois dont ils reconnaissent avoir été payés.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

- a. Bonnin Théodore, *Cartulaire de Louviers*, Évreux, Hérissey, 1870-1873, 6 vol., t. 1, n° CCLXXXVIII, p. 330-331.

Texte établi d'après a

Universis presentes litteras inspecturis, officialis curie Ebroicensis, salutem in Domino.  
Notum facimus quod in nostra presentia personaliter constituti Aalixdis, relicta Ricardi Haysie defuncti, et Petrus, ejus filius, recognoverunt et confessi sunt se unanimi assensu et voluntate vendidisse, concessisse et omnino dimisisse religiosis viris abbatii et conventui Sancti Taurini Ebroicensis quindecim solidos turonenses annui redditus, percipiendos singulis annis a dictis religiosis vel eorum certo mandato supra duas domos et masuras sitas in parrochia de Locoveris, in feodo Sancti Taurini Ebroicensis, in vico de Puteo, inter masuram et domum magistri Johannis Malpetit, ex una parte, et domum et masuram Guillelmi generis Johanne la Ciriere, ex altera ; persolvendos dictis religiosis vel eorum certo mandato, videlicet a Stephano Oliveri et ejus heredibus seu ab ipso causam habentibus dictas duas domos cum masuris antedictis tenentibus et possidentibus, quolibet anno terminis inferius annotatis, videlicet ad festum beati Johannis Baptiste tres solidos turonenses ; ad festum sancti Remigii inde sequentis tres solidos turonenses, et ad Nathale Domini inde sequens sex solidos turonenses residuos, pro sex libris et quindecim solidis turonensibus de quibus se tenuerunt coram nobis plenarie pro pagatis in pecunia numerata ; habendum, tenendum et jure hereditario in perpetuum possidendum dictis religiosis ad dictos terminos superius nominatos, libere, pacifice et quiete, sine contradictione, reclamatione et revocatione dictorum venditorum et heredum suorum super hoc de cetero faciendum. Qui quidem venditores promiserunt dictis religiosis dictum redditum garantizare, defendere et deliberare contra omnes et in omnibus ad usus et consuetudines Normannie, vel alibi in propria hereditate sua, si necesse fuerit, valore ad valorem excambiare, salvo tamen jure et redditu domini capitalis, et salvis tribus auxiliis feodalibus in Normannia constitutis. Et juraverunt coram nobis predicti Aalixdis et Petrus, ejus filius, super sacrosanctis Evangelii, spontanea voluntate, non coacti, quod contra venditionem, concessionem et dimensionem antedictas per se vel per alium seu alios non venient in futurum aliquo jure, aliqua de causa sive actione ; obligantes quoad hoc dictis religiosis se, heredes suos et omnia bona sua mobilia et immobilia, presencia et futura, acquisita et acquirenda, quocumque jure censeantur usque ad quitationem redditus supradicti.

Renunciantes insuper exceptioni pecunie sibi non tradite et non recepte, omni deceptioni et lesioni, omni statuto et consuetudini, et omni juris auxilio canonico et civili per quod possent se tueri contra premissa in toto vel in parte. Renunciavit insuper dicta Aalixdis penitus et expresse consuetudini Normannie per quam mulieres post mortem maritorum suorum solent repetere dotem sive dotes in talibus casibus seu consimilibus in foro seculari, jurisdictioni curie Ebroicensis se et sua quantum ad hoc supponens.

In cuius rei testimonium, sigillum curie Ebroicensis, una cum sigillis dictorum venditorum, presentibus litteris, ad petitionem ipsorum, duximus apponendum.

Actum anno Domini M<sup>o</sup> ducentesimo LXX<sup>o</sup> quarto, die jovis post dominicam qua cantatur : Oculi mei.